

Disputatio medica inauguralis, de apoplexia sanguinea / [C.R. Goring].

Contributors

Goring, C. R., 1792-1840.

Publication/Creation

Edinburgh : [publisher not identified], [1816]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kdxdggmm>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2
DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA SANGUINEA.

AUCTORE C. R. GORING.



PRAEFANDA.

MIRAE illae actiones, quibus cerebri et nervorum est perfungi, aliis omnibus corporis humani propriis longe antecellunt. Etiam si enim omnes functiones et motus interiores nexu intimo invicem consociantur, ita ut, aliqua laesa, caetera laedantur, sedata sedentur, vel incitata cieantur, actio tamen cerebri imperatrix reliquis praeposita imperat; haud secus atque Artifex Divinus mundum

A

[1816]

gubernat et regit. Quo fit, ut plurimi intersit morbos omnes, qui ejus officia impediant et gravent, inquirere et intelligere; eoque potius, quod non solum animi et corporis singulas fere actiones plus minusve turbent, verum etiam vitae ipsius flammae haud raro perniciem instantem minitentur.

Viscus tanti momenti, et cujus est tam miris perfungi muneribus, almus providusque rerum Parens summa arte munivit, quo minus ei impulsu alieno violato noceatur; calvaria nimirum illa forti et durissima circumfertur. Quae tamen nequaquam obstat, quo minus plura millia casuum, quibus patet genus humanum, cerebrum gravissimis malis implicent. Ex his *Apoplexiam Sanguineam* argumento selegi, de quo, legi aliquid ad artem Machaonicam pertinens scribere imperanti obsecutus, pauca disputem. Nec vero me lucem novam ejus naturae, causis aut curationi afferre posse profiteor: sed praecipua huc pertinentia edere in animo est, ut quantum opis sit meae, oratione concinna, et, uti

spero, lucida, hunc morbum luctuosum describam. CULLENUS praclarus *Apoplexiam* ad CLASSEM *Neuroses* et ORDINEM *Comata* retulit; eique *species* novem subjecit; quarum una est sanguinea, de qua agere statui. Ita vero hoc malum definivit vir ille perceleber: “ Motus voluntarii fere omnes imminuti, “ cum sopore, plus minusve profundo, su- “ perstite motu cordis et arteriarum.”

Proximum est, ut haecce praefatus, ad signa Apoplexiae Sanguineae proferenda trans-eam.

DE SIGNIS.

MORBUS, quem prosequor, inopinato, et interdum momento temporis, haud secus atque Jupiter tonans, irruit; adeo ut apud CELSUM aliosque quosdam e medicis Latinis apoplexia oppressi nominarentur *attoniti*; perinde quasi fulmine icti perirent. Aliquando autem non tam subito accedit, ut non quae-

dam indicia eam mox venturam praesagiant; quae sequitur, ut brevi sermone exponam.

Si quis *Apoplexiam Sanguineam* jam subiturus sit, ei caput dolere solet: hebetatur sensus omnigenus, praecipueque facultas audiendi et videndi; aures subinde tinniunt, aut muscae oculos circumvolare videntur; aut iis objecta omnia nebulis quasi velantur. Vultus fere praeter solitum rubet et turgescit; arteriae temporum et *caroticae* dictae fortius quam ex consuetudine micant; nec raro sanguis e naribus profluit. Mens ipsa inter haec parum integra labitur, praeteritorum reminiscendi impotens, et ad negotia solita adeunda pigra. Vox editur difficilis et confusa, aut faucibus haeret: torpet quivis articulus, nimirum aliquis e digitis manus pedisve. Nonnunquam inter ambulandum artus titubant. Si cui, praeter haec, cibo jam accepto, dormitandi cupiditas accidit, is in morbum propositum jam est lapsurus.

Apoplexiam autem jam hominem percussisse haec insigunt. Concidit infelix, sen-

tiendi facultate fere orbatus, membrisque resolutis omnibus. Oculi immobiles et tumidi solito nitore destituuntur; neque mens quid velit aut nolit, indicant; *pupillae* patent fixae, luci non coarctandae. Caput praeter naturam incalescit; ejus arteriae concitantur, et *caroticae* fortius crebriusque quam ex consuetudine saliunt. Vultus insigniter tumet et rubescit. Cor arteriaequae omnes valide moventur; hae tardius et plenius, quasi se attollere et submittere apparent. Aeger spiritum trahit et emittit, haud aliter atque micant arteriae, nimirum raro, alte, nec sine labore gravi; et inter anhelandum stertit. Solutis gulae, linguae et animae fistularum fibris, vorandi et eloquendi pene fit impotens. Omnes equidem muscoli, quorum est animo imperatori parere, facultate se contrahendi privati, quiescunt: interdum sane, resoluto latere alterutro corporis, vellitur alterum. Quod si ita se habeat, torquetur os, et ad partem non solutam trahitur, molientibus hujus viribus motricibus; saliva porro uberiore et spumante idem scatet.

Nisi natura alma et ars medica nunc aegro succurrant, proximum est ut novae quaedam et diriores notae, fati ipsius mox venturi satellites, celeri pede irruant. Demum vires motrices ubique corporis solvi coeperunt. Cor et arteriae, quod digito admoto sentitur, exiliter nec paribus intervallis saliant; imo vero potius tremunt. Vultus demum admodum pallet et labitur; sentiendi instrumenta torpent, nullis incitamentis suscitanda. Mens hallucinatur, vel pene deleta videtur: infelix, ubi ad extrema ventum est, vorare, eloqui, audire, videre, olfacere, omnino nequit. Urina modo aegre excernitur aut supprimitur, modo injussu animi profluit, alvo simul fusissima: quae mala luctuosissima mortem citam et optandam secum afferunt.

Quod si cui laboranti tempestive medicina opitulatur, vegeta simul natura medicatrice, exitus melior instare solet. Interdum renascitur integerrima valetudo; quam modo sudor, aut alvi fluxus, modo cursus sanguinis e venis imi intestini, aut aliunde sua sponte,

molitur. Nec vero finitis malis, et sanitate, uti videtur, reduce, non superest metus; nosse enim juvat, quanto aliquem frequentius jam propositus morbus percusserit, tanto facilius, tantoque levioribus noxis illatis, eundem novari; tantoque incitatiores acerbioresque saevire, in *hemiplegiam* exitiosam serius ocyus abiturum.

QUAE, SECTIS ABSUMPTORUM CORPORA-
RIBUS PATENT.

QUUM nulli aut inter antiquos aut recentiores clarius fusiusve de hac propositi parte scripserunt, quam JOSEPHUS et CAROLUS WENZELIUS, horum libro, fonte, unde jam memoranda deducerem, quam alienis, uti malui*.

* Vide Josephus et Carolum Wenzel, De penitiori structura cerebri hominis et brutorum.

Hi viri praeclari multa exempla ediderunt hoc gravi morbo absumptorum ; quorum cadaveribus incisis cerebri penetralia explorarunt, et ibi praeter naturam inventa ediderunt.

Quaedam mulier defuncta haec sibi praetulit insolita. Jam vivae sinistrum latus corporis resolutum fuerat ; cerebro introspecto, dexterior *ventriculorum tricornium* sanguine partim fluido, partim coacto, scatuit. *Corpus callosum* sinistrorsum impetu hujus ferebatur. *Septum lucidum* diruptum est. *Ventriculus quartus* sanguine repletus. *Dextrum corpus striatum, thalamusque* ejusdem lateris suppuratione pene dissoluta.

Scribunt etiam cuidam viro, cui dextra pars corporis resoluta erat, cadavere secto, sinistrum cerebri latus eadem fere praestitisse.

Plura alia exempla proposuerunt ; unde judicare licet fibras cerebri *nervosas*, quae ex uno cerebri latere nascuntur, ad alterum transire, ei lateri corporis vim nervosam daturas. Omnes enim fere, quorum corpora

secuerant, laevam partem cerebri laesam, si dextrum latis corporis solutum fuerat; dextram, si laevam exhibuere.

Haec igitur veluti praecipua huc attinentia proponere oportet. Calvaria mortui arte excisa, et patefacto cerebro, arteriae venaeque cerebri eousque sanguine turgere solent, ut ceram liquatam et coloratam, quali *anatomes* periti vasa implere solent, accepisse videantur; nec facile pars calvariae sublata sedi priori adhiberi possit.

Atria cerebri non raro cruore profuso inquinantur, disruptis nimirum vasis: idem nonnunquam penetralibus cerebri ipsis, compaginempe, inhaerere compertus est; modo membranis interjici reperitur. Huc accedit, quod subinde cerebrum hic illic tuberibus nodatur, vel duris, ossis instar, vel molliori fabrica donatis. Denique scire licet, perpetuum non esse ut omnia, quae retuli, praeter naturam prodire, cuique *Apoplexia* jugulato contingant; sed aliis alia subesse. Quibusdam, nihil insoliti perscrutanti patuit, nisi cerebri va-

sa, et venae potissimum, ultra consuetudinem oppleta : et id fere latus cerebri plus opprimitur, quod alteri corporis plus laeso contrarium est.

DE CAUSA CONTINENTE.

NOTAE omnes hujus morbi propriae, cum quae ipsum, spirante adhuc homine, denunciant, tum quoque, quae inciso defuncti corpore reperiri soleant, cerebrum opprimi testantur. Quae, vivo jam aegroto, id praedicant, sunt vultus ultra solitum rubescens, venae cervicis tumefactae, aliaeque, unde capitis vasa intumescere videantur. Omnia supra comprehensa, quae scalpellus introspicienti exhibet, eodem plane referenda sunt.

Quibus perspectis, judicare licet *Apo-plexiam* cerebro oppresso contineri. Opprimunt autem nonnunquam venae distentae, modo sanguis profusus, alias tubera. Eoque potius et clarius constat hinc eandem profi-

cisci, quod cerebro humano aut belluino arte oppresso, omnia ejus indicia illico nascuntur; et quod, subducta noxa prementè, qualiscunque sit, ipse quoque morbus tollitur.

DE SIGNORUM RATIONE.

Siquidem leges, quae generi nervoso imperant, magna saltem ex parte, ingenium humanum latent, qua ratione idem laesum et viciosum actionibus corporis interioribus noceat, parum innotescat, necesse est. Quod ad signa morbi, quem prosequor, duplici fere causa contineri videntur; qua concessa, exinde patescunt omnia: nimirum cerebrum oppressum, motus, quos regit animus, et vim sentiendi pene delet; eos, qui mentis injussu fiunt, tardat. Hinc solvuntur artus, et hebetantur sensus; hinc *pupilla* praeter naturam patula non movetur. Eodem pertinet, quod spiritus tarde et graviter trahitur et e-

mittitur ; arteriaeque motu segni et pleno exagitantur. Nec aliorum referenda sunt parca aut suppressa quaeque secernenda et excernenda. Pigrius enim saliunt arteriae omnes ; nec aliter moventur intestini et fistularum excernentium fibrae motrices. Stertit aeger inter spirandum ; quia canales animae pituita obturantur ; et spiritus simul vehementer emissus *palato molli* resolutio illiditur. Interdum gula, vesica urinae, *sphincteres* solvuntur, praecipueque, si hic morbus saevior urget : unde judicare licet, imam partem cerebri, pontem *Varolii*, et medullam *oblongatam*, origines scilicet et fontes nervorum, qui iis partibus insperguntur, opprimi. Si quando convellitur unum latus, altero resolutio, nosse juvat, haec indicia terrentia non solum cerebrum gravissime pressum denunciare, verum etiam *tuber annulare* aut gravatum, aut cuidam irritamento objectum. Ex pluribus observatis constat, eam partem cuivis fere animali laesam artus convellere : quinetiam, si quem nec juvenia florentem

morbus comitialis vehementer plexuerit, nulla causa evidente oriundus; ei fere absumpto, cadavere patefacto, eandem tubere, aut ulcere aliunde violatam reperiri solitam esse.

DE DIAGNOSI.

SIGNA, quae *Apoplexiam* instantem praesagiunt, et praesentem denunciant; notae porro, quae incisis corporibus patefiunt, et causae, unde nascitur, adeo sunt clara et luculenta, ut vel artis Machaoniae imperitus vix eam cum aliis morbis confundere possit: et operae praetium esse non videatur hanc rei propositae partem oratione producta persequi. *Epilepsia* tamen, mala ebrietate genita, et *Syncope* eousque *Apoplexiam* simulant, ut quo ei distent, paucis declarare haud alienum esse judicaverim.

Ebrietas.—Vino obrutus inexperto *Apoplexia* concidisse videtur. Quaedam vero in-

dicia ebrium satis aliquem ostendunt : cui scilicet pupilla luce oblata coarctatur ; cuique sentiendi instrumenta incitamentis patent. Idem porro aut non omnino, aut minus alte et graviter stertit ; et anima potum, quem voraverit, olere consuevit. Huc accedit, quod mala ebrietati oriunda brevi sua sponte finiuntur.

Epilepsia.—Vix *Epilepsia* et *Apoplexia* eo inter se conterminae esse possunt, ut altera pro altera habeatur ; nisi profecto utraque eidem contingat homini ; nempe convellatur unum latus, solvatur alterum. Haec vero signa obstant, quo minus dubitemus ; illi fibrae motrices omnes, cum quae animi jussu, tum etiam quae injussu, moliuntur, velluntur et torquentur ; huic vero solvuntur muscoli, quibus mens imperat ; et pigrent motus interiores, qui citra mentis arbitrium fiunt. Illi igitur spiritus, motusque cordis et arteriarum celerantur, huic tardantur. Illa porro juvenia florentes et irritabiles, haec ad senium vergentes, segnes et obesos, obruere solet. Denique, *epilepticus* non stertit.

Syncope.—*Syncope* eo *Apoplexiam* simulat, ut utrique fere deleatur sentiendi facultas, et quiescant artus. Neque tamen non plurimum inter se discrepant: vultus, anima deficiente, pallescit; respiritus, motusque cordis et arteriarum exiles et imbecilli tantum non conquiescunt.

Quem vero icerit *Apoplexia*, ei facies intumescit et rubet, cor et arteriae vehementer saliunt, et anima cum labore gravique sono trahitur et emittitur.

DE CAUSIS PROCLIVITATIS.

Proximum est, ut inquiramus, quae ratio corporis et aetatis, et quae aliae proprietates efficiant ut homo ad *Apoplexiam* subeundam, admota causa excitante, proclivior sit. Huc potissimum operam conferunt caput grande, cervix brevior, corpus obesum et

sanguine plenum, et haereditas ; de quibus brevi oratione disserendum.

Caput grande.—Quos natura grandi capite donavit, ii obesi, pleni, et vegeti esse consuerunt. Nosse porro juvat, imo vero tam clare patet, ut vix oratione ad id illustrandum opus sit, cerebri arterias, venas, et *sinus*, tanto esse capaciores, tantoque majorem sanguinis molem accipere, quanto ipsum sit grandius. Quinetiam, propensior est aliquis, quem *Apoplexia* iceret, capite ampliori instructus, eo, quod illa ipsa amplitudo vasa cerebri motu incitato salire indicat ; arteriarum enim est omnes partes corporis conficere et alere. Huc accedit, quod cervix fere pinguedine crassa capite grandi praedito, facit ut venae oppressae tardius et aegrius sanguinem a cerebro reducunt.

Cervix brevior.—Cervix brevis cum ingenio acri sociari fertur ; cujus rei nonnulli hanc reddunt rationem. Contendunt, quo brevior sit cervix, eo impetu vehementiori sanguinem arterias cerebri ferire ; ideoque

eo alacriorem esse hujus actionem. Quod eos fefellerint necne, anceps haereo: illud tamen convenit, cor tanto breviori intervallo cerebro distare, quanto collum sit brevius, et inde ejus visceris arterias admodum concitari, sanguini porro reddituro simul obstare cervicem adipe gravem, quoties brevior est. Quibus perspectis, cur collo brevi instructi periclitentur, satis superque patebit.

Senectus. — Prae juvenia florentibus, adulti, et potissimum annum quadragesimum aut quinquagesimum jam transgressi, in morbum, quem prosequor, incidere solent. Nec ratio latet; imprimis enim in senium vergentes, pigri et ad motum tardiores, minus ambulare et equitare consuerunt: quo fit, ut secernenda et excernenda parcius secernantur et excernantur, eoque corpus ultra debitum saginetur. Deinde, almus rerum Parens hanc tulit legem, scilicet, ut valvae cordis et membrana intima arteriarum annis ingravescentibus obrigeant, et interdum pene in os vertantur; venae au-

tem molles et flexiles fiant. Illae igitur sanguini irruenti obnituntur, ideoque minorem ejus molem accipiunt; hae autem facile cedunt, et implentur. Senibus itaque venae pleniores contingunt; et notissima est res, *Apoplexiam* venis potius quam arteriis cerebri repletis contineri.

Denique, scire licet, quodcunque incitando, implendo, simulque infirmando habile sit, id hominem malo, de quo agimus, subeundo aptare.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

OMNES noxae, quae ad hoc malum inferendum valent, triplicem habere distributionem videntur: nimirum, aut nocent, cursu sanguinis ad capitis arterias celerando; aut, quo minus facile per venas reducatur, obstando; aut corpore implendo. De quarum singulis, proximum est ut paucis disputetur.

Cerebri arterias concitant animi motus vehementes ; quales sunt, ira, gaudium, amor, et alii ejusmodi. Eodem quoque spectat vino obrui, currere, citiori pede ambulare, equitare, et caput habere pronum aut supinum. Praeter naturam incalescere, undecunque id fiat, huc etiam pertinet. In aprico est harum noxarum ratio ; neque non sermonem de iis producere supervacuum foret. Inter noxas, quae prohibent, quo minus e cerebri venis et sinubus facile sanguis ad cor dextrum redeat, praepollent collum ligatum, aut monilibus vesteve arctiore pressum, caput supinum aut pronum, satietas, respirationis gravis, altus et diuturnus, et vitia quaedam cordis aut pulmonis.

Collum ligatum, aut quoquomodo oppressum, efficit ut, vena juguli utrinque gravata, cerebri vasa sanguine superfluant.

Quomodo satietas, nimirum cibus plenior jam voratus, malum propositum molitur, non prorsus inter medicos convenit. Quidam opinantur, hallucinati, ni fallor, ventriculum

repletum arteriam magnam descendantem premere; quo efficitur ut arteriae superioris partis corporis praeter naturam turgeant. Hoc eos luisse hinc constat, quod ventriculus distentus sursum et prorsum movetur. Qui ita senserunt, vomitu ventriculum sollicitare et deplere consuerunt; unde sanguinis mole ingente ad cerebrum delata, signa omnia *Apoplexiae* ingravescent. Abjicienda sunt igitur opinio, et auxilium inde deductum. Siquidem ascendit ventriculus satur, constat eum septo transverso descensuro obniti; eoque spiritum tardare et impedire; quod fieri non potest, quin sanguis aegre et difficulter a capite redeat. Quinetiam, satietas cerebrum, cor et arterias incitat; ob consensum nempe insignem, quo ventriculus cum aliis partibus sociatur.

Diu et graviter spiritum trahenti aut emittenti sanguis cursu pigriori per vasa pulmonis circumfluit; et ideo venas capitis ultra consuetudinem refert. Opus est enim

pulmone vicissim ampliato et coarctato, quo sanguis facile eum permeat.

Nec aliter nocent *asthma*, *pertussis*, *aneurisma* cordis aut arteriae magnae, ubi se arcuat, valvaeve in naturam osseam conversae. Haec scilicet vitia sanguinem per cordis atria et pulmonem profluentem tardant; insigniter corpus implent, et ita *Apoplexiae* favent satietas, ignavia, secernenda et excernenda suppressa, ulcus sanescens, et exinanitio aliqua, quae diu perstiterit, ex improvviso quiescens.

Denique, cutis repente ex *erysipelate* deflorescens, *arthritidis retrocedens*, et alia quaedam, quae humores ad caput aut intus impellunt, huc referri posse videntur.

DE PROGNOSI.

MEDICI antiquiores ad eventos futuros morborum praesagiendos animos potissimum appulerunt; nec facile aliquem ex recentio-

ribus aut hodiernis invenire licet, qui in hoc genere vetustis antecellit. Prae caeteris equidem eminet pater rei medicae venerandus ; cujus *aphorismi* summae aciei monumento praeclaro exstant. Quem percusserit hic morbus, eum aut periturum, aut salutem recepturum judicamus, signorum, virium, aetatis, corporis, ratione habita ; prout nempe signa leniora aut vehementiora premant, jamque brevius aut diutius traxerint. Nunquam sane medico licet, vel notis mitioribus, audacter sanitatem redituram augurari ; semper enim cerebri mala discrimine non vacant.

Si adolescens, aut viribus prius integris florens, subito *Apoplexia* plectitur ; si indicia leviora urgent ; si non penitus deletur sentiendi, spirandi, et vorandi facultas ; si sanguis e naribus profluit ; et praecipue si venis arte vacuefactis, omnia mala cito mitescunt ; salvum hunc futurum esse patet. Nec vero, recidiva bona valetudine non cavendum, nitendum et curandum ; nosse enim juvat, quo

quis jam saepius hoc diro morbo conciderit, eo eundem facilius et noxis minoribus illatis esse relapsurum.

Quem vero annis, gula, vino concubituve nimio fractum, *Apoplexia* icerit, is in praecipiti versatur; eoque potius, si, quod saepius accidit, sensus penitus hebetantur omnes, miser vehementer stertit; si porro difficulter aut non omnino vorat, vultus distortetur; nec homo eloqui, audire, aut videre potest. Quae parum abesse, quin extremum duceret spiritum, satis superque testantur.

Neque is servari poterit, cui os lapsum pallescit; cui summa cutis, aut ubique aut hic illic inaequaliter, gelido madet sudore; cui ve stercus et urina, laxatis motricibus fibris, animi injussu profunduntur.

Multo tutior est, cui vasa cerebri solum turgent, quam infelix, cui iisdem disruptis intus proruperit sanguis. Quo factum esse judicandum, si *pupilla* amplior luci vividae non paret, si homo perquam soporatur; maximeque si venae depletae, et materia ex-

ulcerando, alvo dejicienda aut aliunde dempta, non signa mala sustulerint; et secuta est nervorum resolutio. His igitur notae contrariae non nisi vasa tumefacta cerebrum oppressisse declarant.

DE MEDENDI RATIONE.

QUUM jam aliquem *Apoplexia* corripuerit, statim medici est omnes noxas, quae signa exasperent, si fieri potest, tollere. Caput oportet pulvinis fultum erigi, quo sanguis cursu lentiori ad cerebrum deferatur, et citiori reducatur. Collum debet nudari, subductis monilibus, aliquave veste, quae venas ejus gravare possit. His aliisque eodem pertinentibus nulla mora absolutis, statim omnia medicinae auxilia, quae cerebrum oppressum expediant, concedi debebunt; eaque saepius aut rarius, plus minusve, largius aut parcius, adhibenda, prout medicum pru-

dentem ratio virium, sexus, aetatis, corporis et signorum edoceat. Inter haec praepolent sanguis vena incisa aut aliunde missus, alvi purgatio aut ductio, exulcerantia et incitamenta sublata. De quibus, quam brevissime et lucidissime potero, disputabo.

Sanguinis Detractio.—Sanguis quam primum, vena juguli exteriori percussa, mittendus; idque ita fieri oportet, ut hiato ampliore, venae cerebri cito depleantur, imo vero deficiat anima. Longe saepius unciae xvi aut xx singulis vicibus eliciendae. Quod si, qua de causa, venam juguli secare minus liceat, incidi debet vena brachii: et scire juvat, molem exiguum sanguinis e vulnere grandi celeriter fusam, multo magis quam permagnam tarde et lente profluentem, optulari. Oportet quoque venas partis affectae exinanire, per hirudines aut cucurbitulas cum ferramentis fronti temporibusve impositas. Interdum sane vires fractae sanguinem nisi hac ratione demi non sinunt; quae nunquam

tamen rite omittitur; cerebrum enim exinde levatur, viribus non simul labefactis.

Alvi Purgatio.—Devorandi facultate superstitute, alvum medicamentis sollicitari oportet: hunc ad finem acriora magis valent; nimirum, sorde dejicienda, quae intus retenta gravi foret irritamento, calefacturo, et cor arteriasque concitatur: et sanguine deorsum a capite impellendo. Ea enim, quae acriter alvum movent, arterias intestini cient, implent, et plus secernere et exhalare cogunt: unde depleantur cerebri vasa necesse est. Hujus rei documento sit vultus pallescens, sumpto hujusmodi medicamine, simul atque tormina, necdum dejectiones, genuerit. Optime in hunc finem vorantur grana quinque *Submuriatis Hydrargyri*, granis viginti pulveris radicis *Convolvuli Jalapae* mistum. Infusum *Cassiae Sennae*, et *Phosphas Sodae*, aut quivis alius e salibus mediis, utiliter accedunt. Quod si aeger vorandi impotens sit, alvus ducenda erit, in intestinum imum liquore idoneo infuso; qualis est ex *Oleo Oleae Eu-*

ropoeae, aqua tepida et *Muriate Sodae*, aut *Sulphate Sodae* confectus.

Exulcerantia.—Detracto sanguine, caput ad cutem tondere juvabit ; dein *emplastro meloës vesicatorii* exulcerare. Satius erit ut hoc amplissimum totum velaret caput : remedio valentissimo est habendum ; quippe quod, sanguine ad exteriora vasa capitis derivato, cerebri arterias et venas insigniter liberat. Pari ratione cutem rubefacere proderit. Morbo tandem fugato, vel in nervorum resolutionem desinente, ulcus arte alicubi corporis faciendum. Saepius exulcerari solet pars cervicis posterior ; aut cutē incisa, et piso *Unguento Lyttæ* illito vulnere insito ; aut filo gossipino, acus ope, eam transfigente.

De vomitu jam satis proposui : unde manifestum est, eandem opem nunquam polliceri, perniciem autem summam secum afferre, aut *paralysin* non medicabilem, aut factum ipsum moliturum.

Denique, quaeque irritamenta, quae ner-

vos perquam irritent, aut cor arteriasque concitent, magis angue et cane fugienda. Hujusmodi sunt condita omnia, *opium*, vinum, potus meraciores, cibus e carnibus, aestus, et quae sunt his similia.

DE PROPHYLAXI.

SUBLATA *Apoplexia*, homo se tutum et prorsus securum existimare non debet. Quo enim jam frequentius hoc malo laboraverit, eo facilius recidere consuevit. Summi igitur est momenti ut intelligatur, quibus praesidiis aut auxiliis ei venturo occurratur.

CELSUS haec verba habet : “ Si quis speciosior et coloratior sit, sua bona suspecta habere debet :” quod praesertim de aliquo in *Apoplexiam* lapsuro praedicari potest : ille enim prae omnibus periclitatur, qui, si natura proclivior sit, integerrima valetudine gaudere videtur. Hunc igitur oportet

tet quotidie sub Jove leniter exerceri, quo rite secernantur secernenda et excernantur excernenda. Halitus, quem spirat cutis, veste lanea intima promovendus, eaque vitae cibique ratione utendum, quae extenuet, nec vero infirmet.

Victus e media tenuive materia confectus praestat; scilicet, e lacte et frugibus, praecipueque omnigeno farre.

Carnes assae, frictae vel elixae nocebunt; certeve parcissime ingerendae. Coena ampla vitanda; nihil enim perniciem praesentiorum secum affert, quam ventriculo repleto decumbere. Potui optimi sunt liquores diluti, qui sitim arceant, nec ardores accendant, aut ventriculum praegravent.

Potus meraci exitiosissimi erunt. Quod si quis gulae Bacchoque jam diu antea deditus *Apoplexia* plectitur, quoniam vi perin-signi consuetudo hominibus imperat, non statim et prorsus abstinere debebit, ne concidat robur; sed pauxillum vini concedendum.

Quinetiam, si facultas concoquendi laesa fruges unicas sumi vetat, quippe quae, imbecillo ventriculo, intus coacescere solent, carnes parce ingerendae, eademque conditae.

Usus jamdudum edocuit venas pleno corpore saepe vacuefactas citissime repletas fieri : imo vero non asserere dubitabo, tanto citius impleri corpus istiusmodi, quanto plus et frequentius materia ei dematur, sanguine misso. Certos intra fines profecto hanc legem proferendam volo. Qui igitur proclives esse videntur, quos *Apoplexia* invadat et necet, praecipueque si pleniores sint, hos oportet, non solum jam praecepta servare, sed alvum solutam habere, medicamentis in eum finem sumptis, si opus sit ; et alia exinaniendo idonea experiri : qualia sunt ulcus unguento *Juniperi Sabinae*, aut *Lyttæ* excitatum ; et ex hac praeparatum emplastrum. Quae si saluum hominem praestent, vena non ferienda. Interdum tamen, ubi metus instat, hirudines aut cucurbitulas cruentas impone-

re juvat. At vero scire licet satius esse per alia auxilia materiam detrahere, et corpus extenuare, ubi aliquis in praecipiti non versatur : facile est enim protinus venam secare ; at vires redintegrare, quas venae nimirum depletae contriverint, nemo mortalium potest.

FINIS.

to iuvant. At vero recte hinc satis esse per
alia auxilia tentanda detrahendo, et corpus
extenuando, ubi aliquid in principio non ver-
satum: facile est enim prius venam secun-
do; ut vites technitatis, quas venae minimum
debetis, coarctant, et non mortuum po-
test.

1751

FINIS